



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Dialecticæ

Dieterich, Conrad

Giessæ Hessorum, 1611

II. Species

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56580](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56580)

ni. Harmonia prout numerus, non est genus anime. Nec temperantia rectè definitur Symphonia; nec ira cor fortitudinis, &c. Metaphoræ enim nunquam ponendæ loco generis.

II. Genus necessariò latius est omnibus suis speciebus, nec cum iis reciprocatur, ut animal est genus hominis, equi, asini. & quidè latius nec cum eis reciprocatur. Non enim quicquid est animal, est homo, equus, &c. Itaq; Quicquid reciprocatur cum suo definito, non est genus.

III. Quicquid generi inest, inest etiam speciei: & quicquid repugnat generi, repugnat etiam speciei, ut sentiens inest animali, ergo & homini, equo, &c.

II. SPECIES

Est nomen commune proximum Individuis, de quibus prædicatur in quaestione Quid sit: ut cū queritur: Quid est Plato? respondetur, est Homo.

[Hic Plato est Individuum: homo verò est species:

Aliàs definitur Species universale, quod generi subicitur.

Species est vel subalterna; vel specialissima. Subalterna est, quæ aliquando genus esse potest.

[Puta, respectu inferioris: respectu superioris semper est & manet species.]

Specialissima est, quæ non est dividua in alias species: vel quæ nullam a-

liam speciem sub se complectitur, ab ea enim descenditur ad ipsa individua seu bases ordinum predicamentaliū, ut: homo, animal, corpus animatum.

Hic homo est species specialissima: Animal est species subalterna: quia quidem species est respectu corporis animati. Genus verò est respectu hominis.

Eius sunt hi

CANONES.

I. Species suo genere posterior est natura, & cognitione, (distincta.)

II. Quicquid habet genus, habet & species.

Notas hinc

Quaedam tamen insunt generi, sc. particulariter & disjunctive, quae non insunt speciei.

III. Infima species non potest dividi per differentias oppositas, *Quia nullo respectu est genus, cuius illa divisio est propria.*

III. INDIVIDUUM

Est, quod de uno, solo particulari dicitur. *Seu, ut Philippus definit: Individuum vel Singulare est nomen proprium, aut una res, significata nomine proprio, sub certâ specie, seu ostensâ particulâ demonstrante: ut, Camillus, hic homo.*

Indicatur Individuum, vel appellatione simplici, vel conjuncta.

Sim.